

7
di, idem ab ipso baptisetur sub conditione, dummodo sit capax Baptismi.

DUODECIMA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum Missionarius, cui Missio difficilis multum foret propter magnam Regionis amplitudinem, posset dividere, & assignare tempus, quo visitaret, seu percurreret unumquemque locum, verbi gratia, singulis mensibus, & extrâ tempus visitationis secum statueret non ire, & non visitare quemquam, tam propter experientiam quotidianam, quod Barbari vocant Missionarium pro minimâ infirmitate, quàm ista ratione, scilicet quia tantus labor debilitaret Missionarium, & vires ejus excederet; sed si interdum morerentur infantes, vel adulti? quæritur utrum Missionarius peccaret mortaliter, vel venialiter?

RESOLUTIO.

Non licere Missionario sine gravi culpâ dividere loca suæ Missionis, secum statuendo non ire extrâ locum sibi præfixum, sed teneri facere quantum in se est, & quantum moraliter potest, ne infantes, ac adulti totius Regionis sibi commissæ decedant sine Sacramentis absolute necessariis.

DECIMA-TERTIA DIFFICULTAS.

Quæritur an possit baptisari adultus rudis, & stupidus, ut contingit in Barbaro, si ei detur sola Dei cognitio, & aliquorum ejus attributorum, præsertim justitiæ remunerativæ & vindicativæ, juxta hunc Apostoli locum, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est*: ex quo infertur adultum Barbarum in certo casu necessitatis urgentis posse baptisari, quamvis non credat explicitè in Jesum Christum?